

Petrus de Vinea

*Ep. III 36 (Fidelium
nostrorum indefessa...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 36 (Fidelium
nostrorum indefessa...)*

giugno 1242

Fidelibus suis Terrae Laboris, super constructione ciuitatis nouae.

1. Fidelium nostrorum indefessa sinceritas in beneplacitis et seruitiis nostris, nullis torpens euentibus, eorum semper memorem nostram munificentiam sibi facit, ut natiua perseuerantia gratiora beneficia mereatur. 2. Ipsorum enim auxilia, quanto constantius sit eorum deuotio pronior ad beneplacita nostra et deuotior reperitur, tanto magis humanitatis nostrae clementia, licet frequenter eam negotiorum diuersorum pluralitas urgeat, inuita tamen multotiens, patitur postulari. 3. Inter arduas siquidem curas, quibus circa salutem nostrorum fidelium inclinamur, occurrit nobis, imperiali meditatione precipuum, Regni nostri pomerium omnium uallari munimine, quo, ademptis aditibus hostium, fideles nostri ex omni parte, pulchritudine pacis uirentes, ueprium lesione purgata, emulorum iacturam non timeant et cultui nostro crescant, iuxta morem fructificent et antiqui fructus et puri pariant ubertatem. 4. Ex hiis reuera causa consurgit potissima, qua ciuitatem nostram Flagellae ad flagellum hostium in eo situ fundari prouidimus, quo infidelibus transitus habilior cernebatur, ut ex ea seras hostibus et hostium firmaremus et in detrimentum eorum nostris fidelibus pronius refugium habeatur. 5. Quam cum ad presens munire meniis nostra preceperit celsitudo, fidelitati uestrae firmiter et districte precipiendo mandamus, quatenus, uota nostra uestraque commoda in hiis fideliter prosequentes, executioni et ordinationi Rogerii de Canalibus, fidelis nostri, quem, de sui prudentia et legalitate confisi, super huiusmodi negotio prouidimus deputandum, super constructione meniorum ipsorum, memori deuotione ac fide solita

pareatis, in hiis iuxta ordinationes ipsius subuentiones necessarias prestituri, ut, pro indesinenter exhibitis et deuotius exhibendis, premii laudabilioris effectum munificentiae nostrae gratia gaudeatis, dantes sibi ad requisitionem suam auxilium, consilium et iuuamen, ubicumque ei fuerit oportunum et a uobis duxerit exquirendum, ita quod commissum sibi curiae nostrae officium celeriter et efficaciter exequatur, et uos possitis per effectum operis commendari.